



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Dispvt. XXIX. An Deus extra cœlum, vel in vacuo intra cœlum esse possit,  
aut ante mundi creationem alicubi fuerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

xit, Deum esse ubique, & sicut virtus loci dicitur esse in loco, & sicut locatum.

Deinde obseruandi sunt varij loquendi modi Sanctorum Patrum, qui licet primo aspectu difficiles videantur, tamen neque doctrinae articuli, neque veritati aduersantur. Chrysost. homil. 5. in epist. ad Colossen. inquit, *Nusquam est deus, & tamen ubique.* Hoc etiam modo loquutus est Philo in lib. de Confusione linguarum satis post medium, & Damascenus 1. de fide cap. 16. *Deus inquit, ut qui materia, ac circumscriptionis expertus sit, haud quaquam in loco est. Ipse enim sui ipsius locus est, ac supra omnia existens, omniaque ipse complectens, & tamen in loco esse dicitur.* Eodem sensu dixit Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Antholycum non longe à principio in tom. 5. Bibliot. sacrae, Deum non capi loco, sed ipsum esse rerum omnium locum, & Athanasius in rescripto ad Liberium, Deum esse incomprehensibilem loco, August. serm. 8. de verbis Domini, Deum nullo loco contineri, & lib. de essentia diuinitatis, in principio Deum esse illocalem, & lib. 83. quæst. q. 20.

Phil.

Damascen.

27

Theophil.

Athanas.

August.

Basil.

Expositio  
sua Sancti  
tun.

Bernardus.

August.

28

Anselmus.

Tertio-  
lanus.

Deum non esse alicubi : & Basilus homilia, quam in sequenti disputatione citabimus, Deum non esse in aliquo loco. Id vero dixisse intelligendi sunt, non quod negauerint substantiam Dei rebus omnibus vere esse presentem, sed quia Deus ita sit in rebus, ut nulla superficiei circumfribatur, ut notasse videtur August. in q. illa 20. vel quod Deus in nulla re ita sit, ut ea definiatur, & concludatur, quia ratione dixerit, ipsum nusquam esse, & loco esse incomprehensibilem, imo ipsum esse rerum omnium locum, quod instar loci naturalis omnia contineat, & conseruet: ideoque sibi esse locum, quia nullibi, nisi in seipso adæquate esse potest. Quem modum loquendi alios quoque Patres fuisse sequutos, in sequenti disputatione videbimus. Quare Bernard. lib. 5. de consideratione ad Eugenium longe ante medium ita loquitur. *De eo, scilicet Deo, compertum est, quod nusquam sit, quia non clauditur loco, & nusquam tamen non sit, quia non excluditur loco.*

Eodem pacto August. lib. illo de essentia diuinitatis dixit, Deum esse illocalem, quoniam de loco ad locum (inquit ille) nequaquam transit, sed neque loco quolibet retinetur. Vbi non tantum illocalem appellat, quod non circumfribatur superficiei, sicut corpora, sed quia loco peculiari non definiatur, sicut Angelus. Quocirca optime de Deo dixit Anselmus in Monologio cap. 22. & 23. Si vsus loquendi admitteret, conuenientius dici videretur, Deum esse cum loco, vel cum tempore, quam in loco, vel in tempore. Quare in eius sententia diceretur Deus nullibi esse: nam alicubi esse, est in loco, non cum loco esse.

Postremo animaduertendum est, ut sequenti disp. fusius explicabimus existentiam Dei in rebus proprie esse substantialem quandam presentiam, quæ absque vlla loci presentia intelligi potest. Locus enim quacunque ratione sumatur, sine distantia aliqua esse nequit: quare adeo si non sint corpora, locus nulla ratione esse, nec intelligi poterit. Deus autem in rebus etiam spiritualibus est immensitate sua, non locali presentia, quia Angeli secundum se nullam habent distantiam, ut sequenti disp. patebit: sed substantiali: existentia ergo Dei in rebus à presentia locali separari potest. Hinc fit, ut primaria existentia Dei in rebus sit

Vasquez in 1. part. Tomus 1.

substantialis, sed quia corpora, in quibus est, sunt alicubi ratione suæ quantitatis, ipse quoque secundarie in loco esse dicitur.

Ratio vero, ob quam Anselmus dixit, Deum potius cum loco esse, quam in loco, est, quia esse in loco, si vim verborum attendamus, de ijs tantum videtur dici, quæ loco circumfribuntur, aut definiuntur, sicut in tempore esse, dicitur de ijs, quæ tempus ipsum metitur. At quæ cum loco sunt, aut cum tempore, ea esse videntur, quæ nec loco nec tempori villo modo subiecta sunt, sed locum, & tempus solum comitantur.

29  
Secundarie  
Deus est in  
loco.

## DISPUTATIO XXIX.

An Deus extra cælum, vel in vacuo intra cælum esse possit, aut ante mundi creationem alicubi fuerit.

*Deum esse extra cælum, & in vacuo esse posse docuerunt Maior, & Caietanus, cap. 1.*

*Deum non esse extra cælum, communis opinio Scholasticorum, & patrum affirmat, cap. 2.*

*Eadem communis opinio ratione probatur, cap. 3.*

*Respondetur testimonijs pro priori sententia allatis, cap. 4.*

*Diluantur rationes eiusdem sententia, cap. 5.*

## CAPVT I.

*Deum esse extra cælum, & in vacuo esse posse, docuerunt Maior & Caietanus.*

**T**Ria quæ in controuersiam reuocata videntur, eandem prorsus questionem habent. Nam si Deus in vacuo intra cælum esse potest, extra cælum quoque in spatio illo imaginario & infinito erit, & ante mundi creationem in eodem, atque in ea parte fuisset in qua mundus creatus esse videtur. Hac igitur vnica disputatione omnia hæc simul expendemus.

In ea vero prior sententia sit, quam tradidit Ioannes Maior in 1. d. 37. q. 1. Caietanus in illud Ioan. 12. *Ego lux veni in mundum*, nempe Deum in toto spatio imaginario ante creationem mundi fuisse, & post illam extra cæli regionem, ubi antea erat permansisse, ac proinde in vacuo, si intra cælum daretur, destructa aliqua substantia manere posse. Pro hac sententia referuntur Durandus, Gabriel, imò S. Thom. & Hugo de Sancto Victore, qui plane oppositum asserunt. Ea vero Theologorum vulgo adeo facilis intellectu visa est, ut multo magis plausibilis sit, quam opposita. Conantur vero auctores illius sic eam persuadere.

Maior  
Caietanus  
Ioan. 12.

Primum quidem auctoritate Philosophorum, Arist. enim 1. de Cælo cap. 9. sub finem, Deum extra Cælum esse asserit. Eamque fuisse sententiam Stoicorum, affirmat Tertullianus lib. aduersus Gent. c. 40. num. 593. ut liguli modo hanc molem cælorum conuertat.

Auctoritate  
probat  
prima sen-  
tentia.  
Aristoteles.  
Tertullian.

Deinde confirmari potest testimonijs Patrum, & Scripturæ. Inter quos primo August. disertè videtur eam tradidisse, namque de Ciuit. c. 5. arguens contra eos, qui dicebant Deum ab æterno mundum condidisse, sic ait: *Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ob opere cessare potuisse. Similiter ergo cogitant extra mundum, infinita spatia locorum, in quibus si quis dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somnare cogantur? Quasi dicat hoc concedi non debet: ergo fatendum est, Deum per infinitam durationem, & in in-*

August.

Nazian.

2  
Præclara Na-  
zianzen. ra-  
tificatione.

finira spatij vastitate sine opere externo fuisse.

Secundo Nazianzenus in oratione 34. quæ est secunda de Theologia post duo folia, vt ostendat, Deum non esse loco definitum, inquit: Nusquamne ille est, an alicubi? Si enim nusquam; quæret fortasse aliquis ex his, qui inquirendi ac disputandi subtilitate impensius gaudent, quomodo ep̄o quoque possit? Nam si id quod non est, nusquam est, id quoque quod nusquam est, nec quidquam fortasse est. Quod si alicubi esse dixeris, procul dubio quandoquidem est, vel in vniuerso est, vel supra vniuersum. Si in vniuerso, vel in quadam eius parte est, vel vbiq̃ue, si quadam in parte, ergo à minori hac parte circumscribitur. Sin vbiq̃ue, ergo ab alio multo maiori continetur, siquidem futurum est, vt Deus totus vniuersi complexu teneatur, nec vlla ex parte circumscriptionis expertus sit. In hac absurditates incidant necesse est, qui eum in vniuerso esse dixerunt. Hac Nazianzen. Docet ergo necessario fatendum esse, ipsum supra & extra vniuersum manere: ne si solum in vniuerso esse dicamus, ipsum circumscripsum esse cogamur asserere. Aduertendum etiam est id, quod in suo argumento assumit Nazianzenus, nempe illud; quod nusquam est, nihil esse: sicut contra, quod nihil est, nusquam esse potest. Ex quo sequitur, ante mundi creationem Deum alicubi fuisse, ne si asseramus, nusquam extitisse, nihil eum esse dicamus. Ex quo fit, vt nulla substantia spiritalis siue creata, siue increata possit nusquam esse, sed alicubi necessario sit, quod, vt inferius patebit, nostræ sententiæ non parum aduersari videtur.

Basilii.

Philo.

Patres pas-  
sim dicunt  
Deum non  
esse intra  
mundum,  
sed extra.  
Athanasius.Hilarius.  
Isa. 66.  
Hic vniuersum,  
Augustinus.

Isidorus.

August.  
Probat  
authoritate  
scriptura.  
3. Reg. 8.  
Iob. 11.  
Baruch 3.

Tertio Basilii in Homil. 16. in illud: In principio erat verbum, ita scribit: Totum quodcumque noueris, & quocumque spiritu tuo penetraueris, Deo plenum est, simul & coniunctum hypostasi Filii inuenies. Deus igitur erit in spatio illo imaginario supra cælum, quo spiritus nostræ cogitationis penetrare potest. Quarto Philo. in lib. 1. Allegoriarum satis ante medium. Nam Deo, inquit, Nec totus quidem mundus dignum esset domicilium, qui sibi ipse locus est, & ipse seipso plenus sibi que sufficiens. Subiungit vero causam, cum Deas alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemque impleat, & contineat. Ac si dicat, eo totus mundus non est Deo sufficiens domicilium; quod totam inanitem spatij infiniti supra hoc vniuersum sua præsentia repleat.

Postremo accedit communis modus loquendi Patrum, qui asserunt, Deum non intra mundum inclusum, sed supra & extra mundum esse. Sic Athanasius in epistola Synodi Nicenæ longe ab initio inquit. Deus in omnibus est secundum suam bonitatem & potestatem, idemque extra omnia est secundum suam propriam naturam. Eodem modo loquuntur Hilarius lib. 1. de Trinitate parum à principio explicans illa verba Isaie 66. Qui tener cælum palmo, & 2. de Trinitate post primum folium Hieronymus in eadem Isaie verba 66. August. 8. de Genes. ad literam cap. 26. & lib. de essentia diuinitatis, Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 2. dicunt enim, Deum esse in omnibus, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum, vt ita sit & forinsecus, & intrinsecus, & infusus, & circumfusus, sicut ait Hieronymus. Quamobrem August. 7. conf. cap. 5. docet, Deum cum hoc vniuerso comparatum esse veluti mare iphinitum, quod in se spongiam contineret, & penetraret, atque extra illam esset: & quod caput est, Scriptura id ipsum satis aperte testatur 3. Reg. 8. Si enim cælum & celi cælorum te capere non possunt. Iob. 11. Excelsior cælo est: &

quid facies profundior inferno, & vnde cognoscet? & simile quid habet Baruch 3. Rationibus etiam confirmatur hæc sententia: prima est, extra cælum vere est spatium inane, in quo corpus, & spiritus esse possunt: quid enim prohibet extra cælum corpus, aut spiritum produci, siquidem nouum cælum supra Empyreum, & aliud vniuersum extra hunc orbem creari potest; Tum etiam homo in extrema parte cæli positus brachium posset extendere: denique totum hoc vniuersum per illud spatium inane simul moueri, & locum mutare; Deus ergo in illo spatio esse poterit: quare & actu etiam ibi erit: eius namque immensitas necessario replet spatium quod ab eo repleri potest, vt disp. 8. c. 4. dictum est. Secunda ratio. Si totum vniuersum simul mutari potest per inanem illam vastitatem, & Deus solum in ipso vniuerso esset, se queretur cum ipso quoque moueri, quod est absurdum; quia simul cum ipso vniuerso mutaret distantiam à punctis imaginarij quod satis esset, vt moueretur. Vt ergo dicamus, Deum ita non moueri, asserendum est, simul esse in tota illa vastitate extra cælum. Tertia ratio. Deus fuit extra omne tempus: ergo fuit semper extra omnem locum; sed extra locum nihil est aliud, quam spatium imaginarij, ergo Deus in eo semper fuit. Quare necesse est, vt in illo quoque post mundi creationem permaneat.

Prima ratio  
pro hac sen-  
tentia.Secunda ra-  
tio.Tertium ar-  
gumentum.

## CAPVT II.

Deum non esse extra cælum, communis opinio Scholasticorum, & Patrum affirmat.

Go vero existimo, non solum oppositam sententiam, quæ communis est, multo probabiliorem esse: verum etiam auctores prioris, de rebus spiritualibus, & de Deo, ac si corpora essent, philosophari. Communis itaque sententia est, Deum non esse in illo spatio imaginario extra cælum: quare neque ante vniuersi creationem alibi, quam in seipso fuisse, neque intra vacuum manere posse; horum enim eadem est omnino ratio. Tradiderunt hæc sententiam expresse Antistodorenus lib. 1. summæ cap. 15. quæst. 1. ad primam replicam 2. ordinis §. Item Deus est in mundo. Bonauent. in 1. dist. 37. art. 2. q. 3. in corpore & ad 1. Ricard. 1. quæst. 4. Scotus q. vniuersi, in 2. ratione pro sua sententia, Durand. q. 2. imo etiam q. 1. n. 13. vniuersum affirmat, Deum in eo, quod nihil est, existere non posse. Adde Capreolum q. vn. art. 3. ad 4. Scoti contra 1. concl. 3. & Dionysium Carthusianum q. 1. qui sub finem illius refert Thomam de Argentina, & addit rudium esse quæstionem, interrogare, vbi nam Deus erat, antequam mundum crearet. Reclat quoque ibidem hos versus: Dic vbi tunc esset, cum præter eum nihil esset? Tunc, vbi nunc, in se, quamuis sibi sufficit ipse.

Scholastici  
auctores.  
Antistod.  
Bonauent.  
Ricard.  
Scotus.  
Durandus.

Capreol.

Faciant cum prædictis Doctoribus Alex. 1. p. q. 9. m. 4. Alber. d. 37. art. 4. in corp. & ad vltimum Bonau. 1. p. d. art. 2. q. 2. Egidius 1. p. d. quæst. 3. præfertim ad 3. Thomas de Argent. quæst. 1. a. 1. ad 4. Gabriel q. vniuersi. art. 3. dub. 3. cum asserunt, Deo ab æterno minime conuenire vbiq̃ue esse, quatenus hoc modo loquendi significatur, alibi esse, quam in se; ei tamen conuenire, vbiq̃ue esse, si capiatur pro eo, quod est, in se ipso esse: & in vniuersum consent, necessariam esse alicuius rei existentiam præter Deum, vt ipse alibi, quam in seipso dicatur existere. Consentit etiam S. Thomas in ea-  
dem

S. Thom.

dem d. q. 2. a. 2. dicens, Deo non convenire ab æterno ubique esse, non defectu sui, sed defectu rerum, quæ ab æterno non fuerunt, ut alicubi Deus esset. Neque obstat quod Gabriel in 2. d. 2. quæst. 2. art. 1. notat. 3. inquit, Deum ita esse in omni loco, ut nullo contineatur, eo quod excelsior cælo sit, hoc enim modo & Patres, & Scripturæ loquuntur; nostræ tamen sententiæ non aduersantur, ut infra ostendemus. Demum hæc sententia colligitur ex doctrina S. Thomæ in a. 1. vbi colligit Deum esse in loco ex operatione, quæ in vacuo esse non potest.

7 *Antiquitate Patrum probatur hæc sententia.*  
Hanc sententiam & Patrum testimonijs & ratione confirmare, simulque priorem refellere non erit difficile. Ex Patribus autem primo videtur eam expressisse Tertullianus in lib. contra Praxeam c. 5. his verbis: *Ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi, & mundus, & locus & omnia.* Quod si Deus fuisset in illo intervallo imaginario, licet solus fuisset, sibi tamen non fuisset locus si quidem in alio esset tanquam in loco. Secundo August. libr. de fide contra Manichæos, cap. 37. cum argueret contra Manichæos vetus testamentum impugnantes, quod multa in eo falsa, & inepta continerentur; contra vero Evangelium tanquam diuinam Scripturam suspicerent; contendit, eodem modo contra Evangelium, atque contra vetus testamentum argui posse, ac proinde utrumque eodem modo explicandum esse: mox subiungit, *Quia si aliquis ita causus sit, ut reprehendere velit illud Domini, quod in Evangelio dictum est, Non turabis per cælum, quoniam sedes Dei est; neque per terram quoniam scabellum est pedum eius, & hoc dicat, quod vos mira dementia dicere soletis, vbi erat Deus, antequam esset cælum & terra? &c.* Tandem post alia, quæ aliqui contra Evangelium possent obijcere, subdit: *Nonne ignorant vbi caput habent, & tamen aliquid sibi videntur dicere: vbi August. stultam esse dixit Manichæorum interrogationem, vbi esset Deus ante mundi creationem, nulla sane alia de causa, nisi quia alibi quam in se ipso esse non poterat.*

August.

8 *Idem in illa verba Psalm. 112. Qui habitas in cælo. Ut ostendat, cælos spirituales, id est, sanctos viros in æternum mansuros, non autem cælos corporeos esse Dei habitaculum, sic ait: Nam si cælum istud corpus, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei, quia cælum & terra transiunt.*

Deinde antequam faceret Deus cælum & terram, vbi habitabat? sed dicit aliquis, antequam faceret Deus sanctos, vbi habitabat? in se habitabat, Deus apud se habitabat & apud se esset Deus. Ecce nullum alium locum præter seipsum ante mundi creationem Deo concedit Augustinus.

9 *Quo etiam sensu dixerat Tertullianus de Deo. Sibi erat locus & omnia. Hæc verba August. videtur retulisse Magister in l. d. 37. ex libro 3. contra Maximinum, cum tamen ibi nihil eorum habeatur. Eidem interrogationi eodem modo respondet Bernardus lib. 5. de consideratione longe ante medium. Nam præterquam quod ostendit ipsum esse in omni loco vniuersi, ita inquit, Alias vero vbi erat antequam mundus fieret, vbi est? Non est quod quæras vltra vbi erat: præter ipsum nihil erat: ergo in seipso erat.*

10 *Denique non parum fauet Theodoretus, qui cum sentiat, angelos omni corpore cære (ut referemus infra disput. 178.) quæst. 3. in Genes. ea Vasquez in 1. part. Tomus 1.*

ratione probat, ante mundum corporeum non fuisse, quia cum natara sua loco definitur, & circumscribatur, hoc est, ita in vno sint, ut ubique esse non possint, nequeunt nisi in corpore aliquo esse. Censet ergo in spatio illo inani, & imaginario illos creati non potuisse: cuius ratio licet non probet id, quod contendit, ut disp. illa patebit, quod tamen ad nostrum attinet institutum, ex eius habemus sententia Angelos in spatio imaginario esse non posse: quocirca neque extra cælum, atque eadem ratione Deus, cum sit spiritus, in spatio illo imaginario esse non poterit, licet non indigeat aliquo loco corporeo, ut existat, sicut Theodoretus putauit Angelum indigere.

## CAP. IV.

Eadem communis opinio ratione probatur.

11 *Am vero, ut ratione nostram sententiam corroboremus, duo supponenda sunt. Alterum est, ut aliquid in alio vere, & proprie existere dicatur duo necessaria esse. Primum debent esse duo realiter distincta, & illud quod est, & id in quo est. Nam in seipso nihil esse dicitur reipsum, nisi latiori quadam significatione. Deinde opus est, ea duo esse entia realia: quia quod est reale quid si cum eo quod reuera nihil est, comparetur, in eo esse, aut ab eo contineri, nullo modo dicitur. Quo fit, ut Angelus, vel quid aliud vere, & proprie in nihilo esse, aut ab eo contineri nequeat. Quia imo hæc existentia & præsentia ita commentitia est, ut ea potius res nullibi esse dicatur, siquidem nihilum, & nullibi idem prorsus sunt. Alterum est de præsentia Dei vera, & reali, non imaginaria & commentitia, nunc esse questionem, an scilicet Deo extra cælum, & ante mundi creationem conuenire potuerit.*

Prima suppositio.

Secundo supponendum.

Deum non esse extra cælum ratione ostenditur.

His igitur iactis fundamentis Deum non esse extra cælum, nec in vacuo, probatur in hunc modum. Vastitas illa imaginaria quam extra cælum nunc esse, & ante mundi creationem fuisse & inanitas illa, quam intra latera vacui corporis esse dicimus, est omnino nihil: ergo vere, & reipsum ea Deus, aut Angelus esse non potest: aut si vere in ea esse dicitur, cur etiam in Chimera non erit? neque enim inanitas illa est ens minus fictum & nihil, quam Chimera.

Respondet aliquis primo, spatium illud non esse purum nihil, sicut est Chimera, sed distantiam quandam interualli, ac proinde in eo aliquid vere esse posse. Cæterum hoc manifeste falsum est. Nam si vastitas illa est aliquid, debet esse aut substantia, aut quantitas, aut aliud accedens, non substantia ut satis constat: non accedens, quia deberet esse in substantia: demum non quantitas, tum quia hæc quoque in substantia aliqua esse debet, cum sit accedens: tum etiam quia posset intra quantitatem corpus aliquod esse: duæ enim quantitates simul se penetrarent. Qua ratione Arist. 4. Physic. cap. 4. refellit sententiam eorum, qui dicebant locum esse interuallum quoddam extensum intra latera superficiæ continentis. Impugnat autem, quia adueniente locato duæ quantitates se penetrarent, aut quantitas illa, quæ est interualli, & loci destrueretur: quare locatum non esset in loco.

Solutio. Reijcitur.

Aristoteles.

11

Nihil igitur est inanitas illa nisi spatium imaginarium, sicut Doctores quoque prioris sententiæ appellant: ac proinde sola cogitatione nostræ

N 3

confi-

confictum: quocirca reipſa erit nihil, atque idem omnino, quod nullibi. Perinde ergo erit Deum, aut Angelum in eo ſpatio imaginatio conſtituere, atque ſola cogitatione eoſdem ibi conſiderare, cum reuera in nihilo, hoc eſt, non alibi ſint quam in ſe ipſis. At dicat aliquis ſecundo, inanitatem illam non eſſe omnino nihil, ſed priuationem, quæ eſt negatio cum aptitudine aliqua, ita vt inane illud ſit non repletum, aptum tamen repleti: ſicut ergo corpore aliquo creato, aut delato aliunde repleti poteſt, cur etiam non poterit ſpiritu creato, aut Deo repleti? Eodem igitur modo dicetur Deus eſſe in ſpatio imaginario, & illud repleti, quo etiam corpus eſſe poteſt. Atque huc ſpectare videtur: prima ratio, quam c. r. pro priori ſententia adduximus. Verum, ſiue loquamur de ſpatio imaginario ante mundi creationem, ſiue de eo, quod extra cælum eſſe dicitur, ſiue de vacuo intra ſuperficiem corporis ambientis, hæc ſolutio inutilis eſt, & inanis. Quoniam, vt aliqua negatio ſit priuatio, quæ eſt cum aptitudine, debet eſſe in aliquo ſubiecto: aptitudo enim extra ſubiectum eſſe nequit: quare nulla negatio extra ſubiectum poteſt eſſe priuatio: atqui ante mundi creationem nullum erat ſubiectum illius negationis: ergo nulla erat inanitas, quæ eſſet priuatio, ſed omnino nihil, & pura negatio.

Tum etiam inanitas extra cælum non erit priuatio, cum ibi nullum ſubiectum habere poſſit. Qua de cauſa Ariſtoteles i. de cælo c. 9. recte dixit extra cælum, neque eſſe locum, neque vacuum. Si autem inanitas illa eſſet priuatio, vere eſſet vacuum quod eſt non repletum, aptum tamen repleti.

Ad hæc de vacuo intra latera ſuperficiæ contentis biſariam loqui poſſumus, primum de iplâ negatione, quæ eſt intra ſuperficiem, & vocatur ſpatium imaginarium, & hæc non poteſt eſſe priuatio, ſicut neque intra ſuperficiem aliquid eſſe priuatum: illa enim negatio ſubiectum non habet, ac proinde priuatio non eſt. Deinde poſſumus loqui de illa negatione, quæ eſt in ſuperficie ambiente, & hæc dicitur priuatio. Nam ſicut ſuperficies, quæ intra ſe corpus continet, dicitur repleta, ita etiam cum nullum corpus intra ſe habet, dicitur priuata, hoc eſt non repleta, apta tamen repleti, quam priuationem vacuum appellamus. Ex hoc tamen non fit, vt Deus, aut ſpiritus intra ſuperficiem eſſe poſſit, & iplam repleti.

Vacuum enim hoc modo eſt locus non repletus corpore, aptus tamen corpore repleti: ergo negatio illa in loco, aut ſuperficie ambienti eſt cum aptitudine, vt corpus, non vt ſpiritus contineat: quare ratione huius aptitudinis ſpiritus intra eam eſſe nequit. Quod ſi aliunde intra illam eſſe poſſet, nihilominus vacua, & cum aptitudine ſua maneret.

Ac propterea exiſtimo Aug. lib. 2. de ſermone Domini in monte c. 9. de Deo dixiſſe, *Vbi que præſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed maiestate potentia*. Si vero aliquis dicat, in ſuperficie eſſe etiam aptitudinem, vt ſpiritus contineat, præterquam quod inferius oſtendimus, ſpiritus ſuapte natura non repleti ſpatium, & latera loci ambientis, ſicut abſque fundamento illud diceretur, ſic etiam abſque alia ratione refelli poſſet.

Cæterum obijciat aliquis tertio in hunc modum. Non tantum ſuperficies ambiens repletur corpore, ſed etiam ſpatium, ſeu interuallum,

quod intra eſt. Si enim maneret corpus contentum, vbi erat, deſtructa ſuperficie contenti, ſua quantitate repletur, non ſuperficiem, quæ iam non extaret, ſed interuallum illud, quod occupare diceretur: eodem modo quo ſuprema ſphæra nunc repleti dicitur non ſuperficiem, quam ſupra ſe non habet, ſed intercaſedinem illam ſuæ quantitati æqualem: & ſicut corpus, ſi fieret extra cælum, repleti diceretur aliquam partem illius vaſtatis imaginaria.

Verum ex iactis fundamentis hæc obiectio facile conſutatur. Cum enim præter ſuperficiem ambientem illud interuallum nihil ſit, niſi ſola cogitatione, vt probatum manet, corpus, quod ſine ſuperficie ambiente maneret, aut abſque ea produceretur, ſua quantitate reuera non repletur aliquid, neque occuparetur: ac proinde non in alio quàm in ſeipſo eſſet. Ea vero ſolum ratione diceretur ſitum alterius corporis occupare, non quia ſitus ille à ſua ipſius quantitate diſtingueretur, ſed quia ſimul cum ſua quantitate aliud corpus eſſe non poſſet. Quare ſi corpus extra cælum non dicitur eſſe in aliquo ſpatio, nec in alio, quam in ſeipſo, nulla ratione dici poteſt Deus, aut Angelus extra cælum in alio, quam in ſeipſo eſſe.

Quod ſi Doctores oppoſitæ ſententiæ contentant, Deum in ſeipſo exiſtere extra cælum ſicut exiſteret corpus, ita vt dicitur in ſe habere ſpatium, & ſitum, diſtantiā, & aduerbia loci ei conuenire; concedemus quidem, Deum eſſe in ſeipſo: at cætera omnia, nempe ſitum, diſtantiā, aduerbia loci & extra cælum eſſe, ei tribui nullo modo poſſe, vt ſubinde patebit.

Arguet tamen aliquis quarto loco, hunc in modum: quamuis corpora non repleant ſua quantitate interuallum illud, quod ſolum eſt imaginarium, dicuntur tamen, etiam ſi ſint extra cælum, aut in vacuo, vere eſſe hic, & non alibi: ſicut totum vniuerſum eſt modo hic, & non alibi: ac proinde intra vacuum, vel extra cælum moueri poſſunt. Sic ergo ſpiritus, etiam ſi extra cælum exiſtens, non ſit in alio, quam in ſe, dicitur eſſe hic, & non alibi, & ſicut corpus moueri poterit, ac proinde non minus erit extra cælum, quam corpus, vt prior contendit opinio.

Hoc argumentum adduximus primo loco pro priori ſententia. cuius ſolutionem holumus in poſterioſiorem quaſtionis partem cum alijs rejicere: ſed vt plenius hic doctrinā totam explicemus, ex profeſſo iplum inſirmare placuit. Quamuis igitur concedamus, extra cælum eſſe corpus; tamen non licet affirmare, corpus eſſe in aliquo ſpatio vel interuallum à ſe diſtinctum, vt ex prædictis factis probatum eſt: ſed ſolum ratione quantitatis ſuapte natura interuallum in ſe habere atque diſtantiā, ac proinde ſitum, & aptitudinem, vt ſuperficie, & loco ambiente, quem repleti poteſt, contineatur, & ei aduerbia loci, *Vbi, Ibi, Abſcubi*, &c. vere & proprie conuenire. Ex quo fit, vt extra cælum, vel etiam in vacuo loco moueri poſſit, vt ex profeſſo probabitur diſp. 195. c. 3. mutando ſcilicet non ſpatium ali-quod à ſe diſtinctum, aut ſuperficiem continentem, ſed modum ſitus, quem ex ſua ſua quantitate in ſe habet. Hic autem ſitus variatur mutata diſtantiā, quam ex punctis imaginarijs metimur. Nec enim hæc commentitia, & imaginaria ſolum eſt, quod puncta fixa ſola cogitatione noſtra deſignantur: ſicut neque locus, qui dicitur eſſe ſuperficies

*Secunda  
ratio.*

*Refellitur.*

12

*Inanitas extra  
cælum,  
negatio eſt,  
non priuatio.*

*Ariſt.*

*In vacuo non  
poſſe Deum  
exiſtere oſten-  
ditur.*

13

*Auguſtin.*

*Excluditur  
aliquid eſſe  
genum.*

*Obiectio.*

*Solutio.*

14

*Argumentum  
eſt, ſic pro  
contraria  
ſententia.*

15

*Solutio valde  
notanda.*

16 cles corporis ambientis prima, & immobilis, figmentum aliquod est, cum tamen eius immobilitatem, & distantiam, qua variata mutari dicitur locus, ex punctis imaginariis solum metiamur. Ea vero, quæ diximus, intelligenda sunt, siue dicamus, per modum localem acquiri formam, aut modum intrinsecum, qui dicitur *ubi*, siue solum extrinsecum respectum, de quo erit nobis controuersia, disput. 195. nam licet respectus solum extrinsecus ponatur, ille saltem habebit fundamentum naturæ suæ in quantitate corporis, cui & distantia, & quæcunque alia, quæ secundum locum dicuntur, conueniunt.

*Cur dicatur unum corpus ab alio magis distare.*  
Sic igitur Deus, aut alius spiritus esse non potest extra cælum in alio quam in se ipso, cum extra cælum nihil prorsus sit, nec spatium, nec interuallum, ut dictum est: quare nec in spatio imaginario esse dicendum est, in hoc enim existere perinde est, atque in nihilo esse. Deinde neque ratione suæ naturæ, aut substantiæ dici potest hic, aut alibi, aut extra cælum esse, sicut corpus: quocirca nec extra illud moueri poterit. Quoniam substantiæ spirituali Dei, aut etiam Angeli secundum se nequit conuenire situs distantia, vel propinquitas, sicut conuenit corpori: huic enim ideo conuenit distantia, vel propinquitas, quia ratione suæ quantitatis, inter ipsum, & aliud esse potest ali-  
17 quod corpus tante, aut tantæ quantitatis, quo repleatur aptitudo illa duorum corporum, quæ alias vacua dicebatur. Dicitur ergo unum corpus ab alio magis, aut minus distare, quatenus maius, aut minus corpus inter ipsum, & aliud interponi potest. Denique quodcunque corpus secundum puncta fixa dicitur magis, aut minus distare, etiam si aliud non sit à quo distet: nam qua ratione quantum est, aptum est, cum alio continere tantum, aut tantum corpus; quare ab hoc vel illo, tantum, aut tantum dicitur distare: quo fit, ut corpus ratione suæ quantitatis moueri, elongari, appropinquare, extra cælum, atque hic, aut ibi esse possit. Hæc enim omnia distantia, vel variatione illius constituitur quæ corpori ingenta esse videtur. At spiritus sup-  
18 apte natura talis est, ut inter ipsum, & alium nequeat aut corpus, aut alius spiritus contineri.

*Spiritus rationis sui non dicitur magis, vel minus ab alio distare.*  
Non spiritus, quoniam ille quantitate caret & extremis: unde non potest esse mensura distantia inter unum & alium Angelum, vel inter unum, & aliud corpus, nec sua substantia interuallum aliquod constituere, ac proinde neque contineri: non corpus, quoniam licet corpus extrema habeat spiritus tamen intra quos debet corpus contineri, extrema non habent, quibus extrema corporis respondeant, ut adæquate inter ipsos spiritus corpus contineatur.

*Obiectio.*  
*Solutio.*  
Verum dicit aliquis, Angelos substantia sua esse in diuisibili, & inter duo diuisibilia posse esse mensuram corpoream, quæ constituatur distantia. Sed huic obiectioni obstat ratio, quia Angeli non sunt indiuidui eo modo, quo puncta, quæ positionem habent in quantitate: sed sunt diuisibiles spirituali modo: atque adeo, quamuis inter duo puncta, distantia esse possit, inter duos tamen spiritus esse nequit, sicut neque mensura quantitatis: quia indiuidua ratio spiritus positionem non habet in quantitate. Quæ etiam ratione disput. 192. cap. 2. probabimus, non recte colligi, Angelum posse in puncto quantitatis collocari, quia ipse in se indiuisibilis sit: quoniam indiuisibile spirituali-

ter proportionem non habet cum indiuisibili quantitate, ut æquari possit. Superest igitur ut spiritus, & Deus, nisi sint in corpore, non dicantur esse in alio, quam in seipsis: & cum in se non habeant interuallum, neque vastitatem spatij, nec situm, quod eorum substantia spiritualiter indiuisibilis sit, non sint hic aut alibi, neque spatia imaginaria repleant.

Quocirca spiritibus non conuenit primarie in loco esse, sed secundarie ratione corporum, quibus præsentia substantiali primarie coniunguntur, ut paulo ante explicauimus. Deus igitur ante mundi creationem in se erat, sed non replebat ali-  
19 quid, neque ipse in se extensionem interualli aliquam habebat, neque hic, aut ibi esse dicebatur: creato autem vniuerso, in ipso incepit esse, & ratione illius hic, & ibi secundum corporum distantiam existere.

Cæterum respondent aduersarij: Deus replebat substantia, non corporali præsentia spatium illud imaginariū, antequam crearet vniuersum. Tamen hæc solutio inanitas, & finis est. Si enim spatium illud nihil erat, nihil aliud à se replere poterat. Se autem solum replere dicebatur, quatenus substantia sua sibi sufficiebat: hoc tamen non satis est, ut extra cælum, quod situm, & extensionem indicat, esse dicatur: sed tantum in seipso indiuisibili, & spirituali modo, quod nemo inficiatur.

Quod si in seipso situm haberet, aut distantiam, vel aduerbia loci ei conuenirent, extensus esset, & diuisibilis, sed quoniam indiuisibilis spiritualiter est, nec in aliquo alio, à seipso existit, dici non posset esse totus in toto, & totus in quolibet parte: cum præter ipsum nihil sit, in quo esse dicatur: in se autem non sit totus in toto, & totus in quavis parte: siquidem in seipso partes non habet sed totus in toto indiuisibili spirituali modo existit. Reijcienda ergo est illorum Doctorum sententia, qui Deum ante mundi creationem, & nunc extra cælum ita cogitant, ut sua præsentia repleat spatium aliquod infinitum, ac ipse quantus, & extensus esset.

## CAPVT IV.

*Respondetur testimonijs pro priori sententia allatis.*

Am vero opus est, ut fundamenta prioris sententia conuellamus. Ex testimonijs autem allatis primum erat Aristotelis in cuius mente explicanda variant interpretes, an scilicet dixerit substantias illas separatas esse intra molem ipsius cæli, vel supra illius extremam superficiem: verba tamen illius præne indicant, supra cæli verticem eas esse.

Verum tamen respondeo, aut illud dixisse, non quia putaret Deum, & intelligentias in loco illo imaginario alicubi, aut alibi, quam in seipsis esse: sed ne ipsas, sicut corpora intra cæli quantitatem circumscriberet: vel certe de illius sententia nihil curandum est, quando in assignando Dei loco tam turpiter errauit peculiari loco ipsum concludens, ut disput. 27. notauimus. Plato etiam in Phædro, aut de Pulchro, beatos omnes, ac proinde intelligentias extra cælum esse asserit, sed aut eodem modo, quo Aristoteles, interpretandus est, aut illi non est habenda fides, cum multa uim fabulosa de ipsis ibidem tradat.

Testimonia vera sanctorum Patrum nihil fauere priori sententia facile ostendemus. Primo quidem Augustinus contra Philosophos illos, Deum fuisse,

in spatijs imaginarijs non collocat, sed contra eos recte colligit hoc modo. Si Deus ab æterno non potuit esse ociosus, vt ab æterno non conderet vniuersum, eadem etiam ratione non potuit extra hunc mundum in infinitis spatijs non producere infinitos mundos: non dixit, non potuit non existere in spatijs imaginarijs, sed, non potuit non alios infinitos mundos extra hunc mundum producere. Hoc autem recte colligitur, si Deus per infinita tempora non potuit ab opere vacare. Quod si Augustinus loqueretur de existentia Dei in spatijs imaginarijs, sicut aduersarij contendunt, suo argumento probaret, Deum quidem potuisse in illis non esse, sicut potuit per infinitam durationem nihil operari. Hoc autem Doctores prioris sententiæ non concedunt: nam cum asserunt, Deum in ea vastitate imaginaria existere, affirmant non libere, sed necessario ibi esse: cum dicant: id non provenire ex libera Dei voluntate, sed ex essentia illius, quatenus immensa est. Nihil ergo priori opinioni fauet Augustinus.

Nazianzenus  
Nazianzenus  
sententia ex-  
plicatur.

Secundo Nazianzenus loco allegato solum contendit, Deum non esse alicubi circumscriptum: quare ad absurdum conatur deducere eos, qui dicebant, Deum esse in toto hoc vniuerso, aut parte illius circumscriptum: & cum sequentibus verbis plane doceat, Deum non esse supra, aut extra vniuersum tanquam in loco, non asserit ibi aliquo modo eum existere. Id vero, quod assumit in argumento, non tanquam certum, sed sub dubio proponit, cum dicat *Fortasse*: posset tamen aliunde facile supponere; Deum esse, aut in toto vniuerso, aut in parte illius, quod nullus negaret. Solum ergo inferre voluit, Deum ita esse in vniuerso, vt nec toto, nec parte illius circumscribatur: quod siue intelligat de circumscriptioe ad modum corporis, siue de particulari, & adæquata loci definitione, necessarium, & verissimum est, vt inferius explicabitur.

Ad Basilij  
testimonium  
respondetur.

Tertio Basilius loco allegato solum docere voluit intra ea, quæ creata sunt, quocunque aliquis cogitatione peruenit, illic Deum esse cum hypothetici filij sui necessario sibi coniuncta. De spatio vero extra mundum quod cogitatione sola constitutus, nihil curauit. Nam paulo ante in ea verba, *Et verbum erat apud Deum*, inquit, *Vbi erat verbum*; scilicet in principio, respondent, *Non in loco: at vbi erat?* respondet, *Apud Deum*, De spatijs vero imaginarijs nihil dixit.

lib.

Quarto Philo ideo dixit, totum mundum non esse dignum Dei domicilium, non quia extra ipsum etiam esset, sed quia ipse nullam ex eo vastitatem accipiat, cum sibi locus esse possit, hoc est, in seipso sine loco non minus perfecte esse. Quinimo ab ipso, inquit, impleri, & contineri alienam indigentiam, & vacuitatem, non quia impleat spatia illa imaginaria, nimis enim rude esset hoc dicere, sed quia omnia, quæ sunt, in nihilum redigerentur, & inania essent, si ab ipso non sustentarentur.

Locutiones  
Patrum,  
quibus Deum  
esse extra  
mundum  
pronuntiant  
exponuntur.

Quinto loco adducti sunt quamplures Patres, qui modum loquendi Scripturæ secuti, varie asserunt, Deum esse extra, & intra, atque supra vniuersum. Verum ipsi, sicut etiam Scriptura, eo modo loquendi tantum significare voluerunt, Deum ita esse in vniuerso, & definitus; non quia extra in spatio quoque imaginario sit, sed quia infinita sua potestas, & immensitas in maiori, & minori, & inf.

nitis alijs esse possit: & huc spectant varij modi, quibus scriptura, & sancti Patres vsi sunt, quos sane interpretari de existentia illa veluti corporea extra coelum, nimis rude esset & absurdum.

Neque vero solum docere volunt, Deum non esse circumscriptum, sicut corpus superficie aliqua ambiente, sed neque definitum, & aliquo modo alligatum huic vniuerso, vt loco sibi adæquato, sicut Angelis contingit. Ideo autem dicitur Deus palmo continere orbem, vt virtutis suæ magnitudo declaretur, qui quasi nihil agens, palmo, id est, non toto conatu sustentat omnia. Nec vero opus est singula, quæ quinto loco adduximus, percurrere; ex his enim facile explicantur. Porro cum Sancti Patres dicunt, Deum esse supra omnem creaturam aliquando per particulam *Supra*, non locorum spatia, etiam imaginaria, sed virtutem, & potentiam significant, vt plane dixit Augustinus lib. de natura boni contra Manicheum cap. 3. his verbis: *Deus ita supra omnem creaturam modum est, super omnem speciem, supra omnem ordinem, nec spatium locorum supra est: sed ineffabili, & singulari potentia, à quo omnis modus, omnis species, omnis ordo.* Atque nihil aliud docere voluit Hugo de Sancto Victore lib. 1. de sacram. p. 3. c. 17. Qui pro opposita sententiâ immerito refertur solet. Ad quod etiam alludens Trismegistus, qui communiter refertur, Deum sphaeræ comparauit, cuius centrum esset vbique & circumferentia nullibi: non quia vastitatem illam imaginariam impleat, sed quia toto vniuerso non finiretur, vt prædictum est.

In hunc sensum dixit S. Thomas quodlibet. 1. art. 1. Dei infinitatem eam esse, vt non solum sit in illis rebus, quæ sunt, fuerunt, & erunt; sed quas possumus cogitare: non quia actu sit in præteritis, futuris, & possibilibus, quæ non sunt, & imaginatione cogitari possunt; cum in eo, quod nondum est, nunc actu esse nequeat, sed quia Deo conuenit ratione suæ infinitatis in omnibus esse, quando sunt, & eius operatio hæc omnia suo tempore pertingit. Quare absque fundamento, hunc textum Doctoris Sancti pro sententiâ opposita recentiores aliqui allegant, vt probet in spatio imaginario, quod cogitatione apprehendi potest Deum esse: alioqui non tantum probaret, Deum esse in spatio imaginario, quod nunc esse extra coelum putant, sed in alio vniuerso, quod à nobis cogitatur, & quod extra hunc mundum creare posset; quod est absurdum. Nec vero S. Thomas dixit, Deum esse in spatio imaginario nunc extra coelum, sed in ijs rebus, quæ cogitari possunt, intelligens res possibiles, nondum existentes.

## CAPVT V.

Diluuntur rationes eiusdem sententiæ.

Deinde rationes oppositæ sigillatim diluamus. Circa quarum primam iam satis in 3. c. dictum est, vbi ostendimus discrimen inter corpus, & spiritum in vniuersum, quare videlicet in vacuo, vel extra coelum corpus moueri, aut esse possit: spiritus autem non item, quo discrimine tota vis argumenti infirmatur. Ad secundam aliqui recentiores respondent, totum vniuersum simul motu recto moueri non posse; ne cogantur concedere Deum cum vniuerso loco moueri, quod putant absurdum. Dicunt tamen vniuersum moueri posse, si Deus crearet spatium aliquod reale, per quod, vel ad quod moueretur. Tunc autem non sequeretur (inquiunt) illud absurdum; videli-

et Deum cum vniuerso moueri: Deus enim esset antea in spatio illo reali, per quod, vel ad quod vniuersum moueretur, ac proinde non acquireret locum, quem antea non habebat, neque cum vniuerso moueretur.

*Non probatur.* Ego tamen non video, qua ratione impossibile sit, totum hoc vniuersum simul motu recto moueri, etiam si nihil aliud extra ipsum crearetur. Primum quidem, quia si extra hunc mundum esset alius, vt à Deo fieri potest, vterque inuicem posset alteri appropinquare, vt aduersarij quoque concedunt: creato enim termino reali extra hoc vniuersum ad quem moueretur, fatetur recte moueri posse: concedere autem debent ita moueri posse, vt vlt; ad terminum perueniat, vel in media quasi via consistat. Tunc igitur si moueretur vniuersum, & ad terminum creatum non perueniret, sequeretur, Deum cum illo moueri; desereret enim situm priorem, & alium acquireret in media via, quem antea non habebat.

*Secundo impugnatur.* Deinde parum interest creari aliquid reale, quo mobile perueniat, vt per inanitatem inter mediam moueri possit: nam terminus necessarius motui non est extremum in motu, & quasi vltimum mutatum esse; sed forma, quæ continuo acquiritur, quandiu durat motus: qualis est in calefactione, tota calor latitudo in motu locali, totum esse alibi, quod diuisibile est cum ipso motu: sine extremo autem, & vltimo mutato esse, quod dicitur primum mutatum esse in termino ad quem, optime posset esse motus, quando scilicet defineret motus cum ipso mobili, saltem annihilato: tunc enim primum non esse mobilis, est primum non esse omnium, quæ sunt in mobili.

*Tertia rejecta.* Postremo quanuis terminus, hoc est extremum motus esset motui necessarius non deberet esse corpus aliquod, aut superficies continens, ad quam vulgo dicitur mobile moueri, sed deberet esse mutatum esse in ipso mobili existens, quod esset indiuisibile illius formæ, & modi, quem mobile per motum acquirit. Motui enim nihil omnino confert superficies ambiens, neque in termino, neque dum mobile mouetur: nam Arist. cum existimaret, primam mobilem spheram nulla alia contineri, putauit etiam moueri circa locum. In vacuo etiam motus corporis esse potest, vt 3. cap. dictum est, & disp. 195. fusius probabitur. Quare omnino accidentarium est, spatium esse plenum, vt mobile moueatur.

*Vera solutio.* Concedamus igitur secundo argumento id, quod assumit, nempe vniuersum motu recto moueri posse, quasi corpus per vacuum. Quod vero inde inferebatur Deum scilicet moueri cum toto vniuerso, nonnulli libenter etiam concedunt, ita vt secundarie tantum, & (vt aiunt) per accidens Deus moueri dicatur, non mutatione aliqua intrinseca in ipso Deo facta, sed solum respectu quodam extrinseco distantie variato, qui ei secundarie conuenit ratione corporis, cui substantiali presentia coniungitur. Vt enim diximus 3. c. & disput. allegata ostendimus, Deo, & cuilibet spiritui secundarie conuenit respectus distantie, secundum quem fit motus: & sane qui asserunt, Deum non esse in spatiis imaginarijs, negare nequeunt, posse Deum acquirere nouum respectum extrinsecum presentie, creando nouum aliud vniuersum: imo etiam posse acquirere nouum respectum extrinsecum in nouo vniuerso, amittendo priorem re-

spectum, si destrueret hoc vniuersum, & extrailud, crearet aliud.

Addunt tamen prædicti Doctores, Deum non posse neque per accidens, neque extrinseco solo respectu variato intra hoc vniuersum moueri, quia non potest non esse in toto vniuerso simul: quare respectus ille extrinsecus presentie semper erit idem eidem rebus permanentibus. Atque hac sola ratione asserunt *August. 16. de ciuit. c. 5. dixisse, Deum loco non moueri, qui semper vbique totus est, & lib. de essentia diuinitatis in principio Deum esse illocalem, quia nec loco continetur, nec de loco ad locum mouetur. Idem dixit 7. de ciuit. Dei cap. 30. Et Iustinus in dialogo contra Triphonem pag. 95. Iustinus.* Deus (inquit) nec mouetur, neque à loco, totoque mundo separari, comprehendique potest. Ceterum in eorum sententia qui dicunt, Deum esse in spatiis imaginarijs, non extensum, neque tanquam in loco, sed solum in seipso indiuisibili modo, non minus sequi videtur Deum, cum vniuerso posse moueri. Quia si vniuersum moueretur, inciperet Deus cum illo habere nouum respectum, quem ante non habebat.

Mihi tamen videtur, neque extrinseca adhuc denominatione, Deum posse moueri, etiam si vniuersum moueretur secundum locum, quia vt aliquid moueatur secundum locum oportet vt mobile, quod etiam secundarie mouetur, habeat nouum respectum distantie à punctis, saltem imaginarijs: Deus autem potest quidem habere respectum extrinsecum presentie, & illum variare, si varijs corporibus presens fiat: dum enim incipit vni corpori esse substantialiter presens, incipit habere extrinsecum respectum, quem antea non habebat: at vero respectum distantie, etiam à punctis imaginarijs, habere non potest, sicut habet corpus quodcumque extra cælum, & totum hoc vniuersum, extra quod nihil est actum.

Ratio vero discriminis est; quia corpus, extra quod nihil actum est, sicut hoc vniuersum, secundum modum, quem habet ex quantitate sua, eatenus solum distare dicitur, quatenus extra ipsum esse potest corpus, in quo imaginatione nostra puncta figamus, à quibus recedere potest, & quanuis aliud corpus extra non sit; nihilominus propter aptitudinem dictam, quam habet, & variat ex modo suæ quantitatis, dicitur mutare respectum distantie: sed quia extra Deum non potest esse corpus, vel punctum imaginatione fixum, à quo Deus distet, quia suapte natura vbique figetur punctum, Deus esset, nec inde distare posset: ideo, etiam si moueretur hoc vniuersum secundum locum, Deus non moueretur. Porro motu circulari moueri nequit spiritus existens in sphaera, cum totus sit in toto, & totus in qualibet parte, sicut est Deus, quia motus circularis non mutat distantiam, sed diuersum respectum partium: quare, cum spiritus partes non habeat, eodem modo semper in sphaera manet, & ideo non mouetur.

*Solutio tertij.* Ad tertiam obiectionem respondeo, Deum fuisse ante omne tempus, sed non in alia duratione, quam in æternitate sibi propria, in qua semper est, quanuis etiam in tempore, aut vt (mauult Anselmus) cum tempore sit, vt in obseruationibus art. notatum est. Non fuit autem ante tempus Deus in alia duratione, quam in æternitate, quia hæc fuit ab æterno, & nulla alia: eodem modo ab æterno non fuit in alio quam in seipso, quia præter ipsum

ab æterno nihil fuit. Ipse autem, cum sit indivisibilis, nec latitudinem habens, nec profunditatem, non dicebatur replere spatium, aut secum spatium vel situm, aut distantiam habere ut 3. c. demonstratum est: unde ab æterno nullibi, nisi in seipso fuit quod sane non est alicubi esse. Quare argumentum in ipsos aduersarios retorqueri potest in hunc modum: Deus ab æterno non fuit in duratione imaginaria, sed in æternitate, ergo non fuit in spatio imaginario, sed in seipso.

Obiectio.

29

Postremo obiciunt aliqui in hunc modum. Spiritus sunt in loco per applicationem virtutis, antequam operentur: hanc autem applicare potest Deus in vacuo, & spatio imaginario, producendo ibi aliquid: ergo prius ibi est, quam producat. Respondetur, varias de hac re esse Doctorum opiniones: ceterum quamvis concedamus, Angelos esse in loco per aliquod genus applicationis virtutis, ut explicabitur disp. 188. in spatio tamen imaginario esse non possent. Aut enim aduersarij applicationem virtutis intelligunt esse operationem aliquam externam, & hæc esse non potest in vacuo, vel spatio imaginario: præterea Deus non applicat exteriori aliqua operatione suam virtutem ad operandum, antequam operetur, quare per illam in spatio imaginario esse non potest: aut est operatio voluntatis. ut de Angelis putauit Caietanus in eo art. quod ibi falsum esse, probabimus; & Deo esse non potest ratio existendi in spatio imaginario, quia non ponitur in loco, decreto voluntatis suæ, ut disput. 28. dictum est: tum quia etiam si hoc modo poneretur in rebus, non sequeretur in spatio imaginario, cum nihil sit: hoc modo collocari posse. Porro si in spatio imaginario esse, non est aliud, quam in seipso esse, profecto id Deo conueniens, non voluntate, sed natura sua.

#### ARTICVLVS III.

*Utrum Deus sit vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam.*

41  
1. diff. 37. q.  
1. ar. 2. & in  
aspellit.

**A**D tertium sic proceditur. Videtur: quod male assignentur modi existendi Deum in rebus, cum dicitur, quod Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam. Id enim per essentiam est in aliquo, quod essentialiter est in eo. Deus autem non est essentialiter in rebus: non enim est de essentia alicuius rei. Ergo non debet dici, quod Deus sit in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam.

2. Præterea, Hoc est esse præsentem alicui rei, scilicet, non deesse illi. Sed hoc est Deum esse per essentiam in omnibus, scilicet non deesse alicui rei: ergo idem est esse Deum in omnibus per essentiam, & præsentiam. Superfluum ergo fuit dicere, quod Deus sit in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam.

3. Præterea, Sicut Deus est principium omnium rerum per suam potentiam, ita per scientiam, & voluntatem. Sed non dicitur Deus esse in rebus per scientiam, & voluntatem: ergo nec per potentiam.

4. Præterea, Sicut gratia est quædam

#### ARTIC. III.

perfectio superaddita substantiæ rei: ita multæ sunt aliæ perfectiones superadditæ. Si ergo Deus dicitur esse speciali modo in quibusdam per gratiam, videtur quod secundum quamlibet perfectionem debeat accipi specialis modus essendi Deum in rebus.

Sed contra est, quod Greg. dicit super Cantic. cantic. cap. 5. quod Deus communi modo est in omnibus rebus præsentia, potentia, & substantia: tamen familiariter modo dicitur esse in aliquibus per gratiam.

Homil. 8. in  
Ezech.

Respondetur dicendum, quod Deus dicitur esse in re aliqua dupliciter. Vno modo per modum causæ agentis: & sic est in omnibus rebus creatis ab ipso. Alio modo sicut obiectum operationis est in operante: quod proprium est in operationibus animæ, secundum quod cognitum est in cognoscente, & desideratum in desiderante. Hoc igitur secundo modo Deus specialiter est in rationali creatura, quæ cognoscit, & diligit illum actu, vel habitu. Et quia hoc habet rationalis creatura per gratiam, ut infra patebit, dicitur esse hoc modo in sanctis per gratiam. In rebus vero alijs ab ipso creatis quomodo sit, considerandum est ex his, quæ in rebus humanis esse dicuntur. Rex enim dicitur esse in toto regno, scilicet per suam potentiam, licet non sit vbique præsens. Per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus, quæ in conspectu ipsius: sunt sicut omnia, quæ sunt in aliqua domo, dicuntur esse præsentia alicui, qui tamen non est secundum substantiam suam in qualibet parte domus. Secundum vero substantiam, vel essentiam dicitur aliquid esse in loco, in quo eius substantia habetur. Fuerunt ergo aliqui, scilicet Manichæi, qui dixerunt diuinæ potestati subiecta spiritalia esse, & incorporalia: visibilia vero, & corporalia subiecta esse dicebant potestati principij contrarij. Contra hos ergo oportet dicere, quod Deus sit in omnibus per potentiam suam. Fuerunt vero alij, qui licet crederent omnia esse subiecta diuinæ potentia, tamen prouidentiam diuinam vsque ad hæc inferiora corpora non extendebant: ex quorum persona dicitur Iob. 22. *Circa cardines cæli perambulabat, nec nostram considerabat.* Et contra hos oportuit dicere, quod sit in omnibus per suam præsentiam. Fuerunt vero alij, qui licet dicerent, omnia ad Dei prouidentiam pertinere, tamen posuerunt omnia non immediate esse à Deo creata, sed quod immediate creauit primas creaturas: & illæ creauerunt alias. Et contra hos oportet dicere, quod sit in omnibus per essentiam. Sic

1. 12. art. 4.

ergo

ergo est in omnibus per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur. Est per praesentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt, & aperta oculis eius. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi, sicut dictum est.

*Ar. 1. huius  
quasi.* Ad primum ergo dicendum, quod Deum dicitur esse in omnibus per essentiam, non quidem rerum, quasi sit de essentia earum: sed per essentiam suam, quia substantia sua adest omnibus ut causa essendi, sicut dictum est.

*Ar. 1. huius  
quasi.* Ad secundum dicendum, quod aliquid potest dici praesens alicui, in quantum subiacet eius conspectui, quod tamen distat ab eo secundum suam substantiam, ut dictum est. Et ideo oportuit duos modos poni, scilicet per essentiam & praesentiam.

Ad tertium dicendum, quod de ratione scientiae, & voluntatis est, quod scitum est in sciente & volitum in volente. Unde secundum scientiam & voluntatem magis res sunt in Deo, quam Deus in rebus. Sed de ratione potentiae est, quod sit principium agendi in aliud, unde secundum potentiam agens comparatur & applicatur rei exteriori, & sic per potentiam potest dici agens esse in altero.

Ad quartum dicendum, quod nulla alia perfectio superaddita substantiae facit Deum esse in aliquo, sicut obiectum cognitum, & amatum, nisi gratia: & ideo sola gratia facit singularem modum essendi Deum in rebus. Est autem alius singularis modus essendi Deum in homine per unionem: de quo modo suo loco agitur tertia parte, quaestione secunda.

#### Explicatio articuli.

**E**X toto articulo quinque modi eliciuntur, quibus Deus dicitur esse in aliquo. Tribus prioribus est in omnibus rebus, nempe per essentiam, praesentiam, & potentiam: duobus alijs solum in rationali creatura. Ordine ergo quartus est, quo Deus est in hominibus tanquam in templo, per donum aliquod gratiae: quintus, quo dicitur esse in Christi humanitate. Singulos vero fusius declarabimus disputatione sequenti.

#### DISPUTATIO XXX.

Qua ratione modi, quibus Deus dicitur existere in rebus, sint explicandi.

*Varia sententia circa tres priores modos, c. 1.*

*Communis & verior opinio, cap. 2.*

*Duo alii modi existentiae Dei in rebus, c. 3.*

#### CAPVT I.

*Varia sententia circa tres priores modos.*

**D**iscrepant Doctores in explicandis tribus prioribus modis, in duobus vero non iterum. Referamus ergo in hoc cap. eorum sententias,

quae non probantur, ut in sequenti veritatem subijciamus.

Prima sententia est *Alex. 4. p. q. 10. memb. 2.* quam *Alexand. Aegidius.* probabilem putat *Aegidius.* Docet autem *Alexander*, Deum esse in rebus per essentiam, quod sua essentia attingat uniuersa: per praesentiam vero, ratione operationis: per potentiam demum, ratione suae potentiae. Primum, & tertium modum ipse non amplius declarat: possent tamen in bonum sensum explicari. Secundus autem verus esse non potest: primum quia, ut inferius patebit, modus existendi per operationem potius est per potentiam, quam per praesentiam. Tum etiam quia non videtur, qua ratione distinguerentur modus existendi per praesentiam ab eo, qui est per potentiam, quos tamen cogitatione saltem distinguere oportet, ut tres enumerentur, nisi ea ratione quam *Durandus* assignauit: eam vero inferius refutabimus. Ad haec, ut optime inquit *Bonaventura*, multa dicuntur esse praesentia, ubi non operantur: ergo modus existendi per praesentiam non est ratione operationis. *Bonavent.*

Secunda sententia est *Bonau. in 1. dist. 37. 1. p. d. art. 3. q. 2.* in solutionibus argumentorum, quam etiam probabilem arbitrat *Gabriel* nempe idem esse Deum existere per praesentiam in rebus, atque per indistantiam, ut ipsi loquuntur, quasi dicat, idem est, quod à rebus ipsis non distare. In alijs duobus modis non videtur à communi sententia differre. Verum in sequenti c. ostendemus, hunc modum potius esse per essentiam, quam per praesentiam, cum praesens aliquis esse dicatur aliquando, qui tamen loco distans est, ijs nimirum rebus, quas in prospectu suo habet. *Secunda sententia non vndeque placet. Bonauent. Gabriel.*

Tertia sententia est *Durandi*, qui omnes tres modos aliter, quam ceteri Scholastici, hoc pacto explicat. Ex parte Dei sunt tria, operatio, virtus, à qua est operatio, & essentia, in qua est virtus operationis: ratione primi Deus dicitur esse in rebus per praesentiam, ratione secundi per potentiam, quia operatio exit à potentia: ratione tertij dicitur esse per essentiam, quatenus essentia Dei (ut ipse inquit) coexistit rebus, ut eas conseruet sicut sigillum, ut conseruet figuram in aqua, debet simul cum ea existere. Primum vero, in quo est maior difficultas, sic declarat. Per operationem Deires producit in rerum natura, ac proinde Deo existenti statim praesens est, & exinde Deus rebus ipsis. Putat enim, ex eo Deum dici praesentem rebus, quod ipse ei sint praesentes, non contra. Sed hunc modum praesentiae non amplius explicat *Durandus*. Haec tamen sententia in eo tantum videtur esse, ut res productae virtute operationis, Deo coexistant, hoc est, simul sint in rerum natura cum Deo. Hanc sententiam non aliunde probat *Durandus*, nisi quia non possit dici Deus praesens rebus ratione cognitionis, ut *S. Thomas*, & alij docent ideo eo modo, quem diximus, existimat, praesentiam Dei commodius explicari. *S. Thom.*

Haec opinio praeterquam quod primum, & tertium modum non satis distinguit, cum utrumque per realem coexistentiam videatur explicare, quod attinet ad primum modum, hac ratione facile impugnatur. Quacumque ratione se habeant duo simul existentia in rerum natura, etiam si loco adfuerint, si alterum eorum non est cognoscens, neutrum dici potest alteri praesens, ut exemplis perspicuum fiet: nam si duo lapides existant simul

*Alexand. Aegidius.*

*Prima sententia Alexandri.*

*Impugnatur.*

*Bonavent.*

*Secunda sententia non vndeque placet. Bonauent. Gabriel.*

*Tertia sententia Durandi.*

*S. Thom.*

*Impugnatur.*

*Duo non cognoscens etiam si sint simul, non sunt praesentia inter se.*

in